D

Conclusum:

Ad 1.^m et 3.^m

Dolet S.^a R.^a M.^tas D.^{nus} Noster C.^{mus} infelicitati huic Reipbl.^ae, quod intentiones suae pacis ex Tractatu Legatorum obtinendae, optatum hactenus nequeant sortiri effectum et finem, Quippe Rex Sveciae considerata imbecillitate publicarum virium, et dispositionib.^s subjectorum studia provehentium excussis, eò audatius progreditur, quò certior est de mediis in defensionem S.^ae R.^ae M.^tis et Reipbl.^ae efficacibus nondum esse consultum; è re itaq; censet S.^a R.^a M.^tas sine cunctatione valida securitatis arripienda media, nec efficacius quicquam fore putat quàm exercitum Regni huic negotio accommodandum, ut Magnificus Palatinus Cracoviensis Campi Ductor quantocius eundem in loco jam determinato sistat, unde exercitui Svetico opportunè opponi, progressusq; ejusdem Svetici exercitus in viscera Regni reprimi possit. Cùm verò exercitus Regni autoramenti externi propter defectum supplementorum et aliorum necessariorum tam citò usui, neq; ad operationes suas sisti possit, igitur in casum hunc, si Tractatus effectum sortitus non fuerit, et Rex Sveciae ultrà progredi, neq; exercitum suum ex Magno Ducatu Lithuaniae, Curlandia, Semigallia et districtu Piltinensi educere decreverit, S. R. M.^tas D. N. C. innitendo exhibitioni circa Pacta Conventa declaratae pro summa necessitate Sui et Reipbl.^ae defensionis promittit, Legiones suas proprias sub pleno regimine illustrium Regni Ducum exercitui Svetico opponendas se adducturam, eâ conditione, quod easdem legiones proprio sumtu sustentare, et pace atq; tranquillitate Reipbl.^ae reddità, easdem legiones è ditionibus Reipbl.^ae educere tenebitur sub rigore Constitutionis Anni 1699.

Ad 2.^m

Quo ad publicam belli expeditionem existimat S. R. M. D. N. C., non ex personis sed ex facultatibus propriorem et commodiorem fore, et ad eum finem Comitiola Palatinatibus et districtibus Regni atq; M. D. Lithuaniae ex nunc indicenda, et in literis Universalibus in ipsum